Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Manuskripte

Urkundenabschriften von Laßbergs und von fremder Hand

Laßberg, Joseph von

Eppishausen (Erlen, Thurgau), 1826-1846 [ca., meist]

K 2913,14,16

urn:nbn:de:bsz:31-371325

Visual Library

1273. ex chartulario monrii Wald.

Ulricus comes de Helfenstein confirmat monrio Wald libertates a se et predecessoribus suis concessas.

Nos Vl. dei gra Comes de Helfenstain universis quibus presentes littere fuerint exhibite volumus esse notum, quod nos venerabilibus dominabus . . Abbatisse et Conventui Monasterii de Walde omnem libertatem et consuetudinem, quam a nostris progenitoribus seu antecessoribus hactenus habuerunt, volumus animo libenti pro nostra possibilitate inviolabiliter ~~observare~~ observare. Et hoc presentibus duximus confirmandum, Adicientes etiam si dicte domine nobis ignorantibus aut scientibus de rebus nostris quicquam hactenus in suam receperunt utilitatem, hoc animo puro eisdem presentibus indulgemus. Ita quod de cetero non presumant de rebus nostris quibuscumque, preter nostram voluntatem et consensum sibi aliquid usurpare. Ut autem hec firma et inviolabiliter ~~obser~~ ~~obser~~ observentur presentes litteras conscribi fecimus, dantes eas predictis dominabus nostri sigilli munimine communitas. Actum et Dictatum Anno domini Millesimo. CC. LXXIII.ᵒ XII. Kal. Aprilis.

|: Sigillum penitus deletum est. :|

1283. Ex chart: monrii Wald.

Conradus miles de Wartenberg monrio Wald resignat decimam in Buchheim.

Omnibus presens scriptum clarius inspecturis, Ego Conradus miles de Wartinberc publica protestatione profiteor per presentes, quod ego decimam ~~sit~~ sitam in ~~Buchain~~ Bůchain qua a venerabili Domino . . Abbate et capitulo Augie maioris fueram inpheodatus, et quam a me. Hainricus de Waltinstain iure possedeat pro pheodali, Facta mihi resignatione libera eiusdem decime ad manus meas a predicto Hainrico de Waltinstain, ad manus predicti reverendi Abbatis Augie maioris ob humilem instantiam, venerabilium in christo . . . abbatisse et conventus Monasterii in Walde publice resignavi, Et in huius resignacionis evidenciam presens scriptum duxi sigilli mei munimine roborare, Actum et datum in Wurmlingin, Anno Domini Millesimo Ducentesimo octogesimo tercio, proxima feria secunda ante festum Marie magdalene. Indictione undecima. Subnotatis testibus presentibus et rogatis, videlicet Domino Bertholdo rectore ecclesie in Wurmlingen, Domino Marscalko fratre suo Sacerdotibus, Domino Eberhardo de Lophein, Dicto Vende de ~~Kaltz~~ ain militibus, Magistro Cůnrado ministro de Luptron, Bertholdo Cellerario de Tutilingen, Borchardo de Bůchaldim, dicto Catili; fratre fridrico Converso in Walde, et aliis quam pluribus fide dignis.

|: Sigillum cum clypeo et inscriptione Conradi de W: pendet :|

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Weissenau.

pag: cod: 168. fine

Ab humana facilius elabuntur memoria. que nec scripto. nec voce
testium eternantur. Cognoscant itaque presentes ac posteri. quomodo
albertus nobilis comes de achalmen. habuit in bernlo. X. mansus.
qui sibi cum aliis prediis inibi iacentibus. hereditario successerant iure.
placuit enim sibi eosdem vendere ubicunque posset. et accersito ad se
hermanno venerabili preposito. qui tunc prefuit augiensi ecclesie et
suis confratribus. accepta ab eis non modica pecunia. quicquid iuris
in ipso predio habuit. in ipsis scil: X mansibus. nullo contradicente tunc
temporis. iuste et rationabiliter eis et ecclesie eorum vendidit. Erant enim
illi X mansus decimales ecclesie in coltstetten. et datus est unus ex illis X. eidem
ecclesie in coltstetten. in plenariam possessionem proprietatis. ut ~~alt~~ alii novem
scil. mansus. de cetero ab omnibus decimis essent absoluti. factum est autem
hoc cum consensu plebani. qui tunc eidem ecclesie prefuit. et cum consensu
dni illius qui ius patronatus habebat in ipsa ecclesia. hinc est quod adhuc
non dantur decime in curte bernlo. nec de nutrimentis. nec de aliis rebus.
Post mortem vero eiusdem Comitis alberti de achalmen. bertholdus miles
de bisen. qui filiam suam legitime duxerat uxorem. cepit adversus
ecclesiam augiensem pro ipso predio in bernlo. quod socer suus vendiderat.
movere querimoniam. et sine omni iure quia semper potentes prevalent.
date sunt sibi et uxori sue. XXX. marce. Ipse vero et uxor sua. et filii
et filie eorum. denuo siquid iuris in ~~illo~~ ipso predio habebant dederunt
ecclesie augiensi.